3 Maggio 1918

La Vice parrocchia di Brione Verzasca
è
elevata al grado di Parrocchia
con
Proprio Officio e Benefizio
Parrocchiale



PNc. 493/—
1918

Aurelius Bacciarini

Dei et Apostolicae Sedis gratia
Episcopus Dauliensis
et
Sanctae Luganensis Ecclesiae Administrator Apostolicus

Universis praesentes inspecturis salutem et pacem.

Cum, sacram Pastoralem Visitationem peragentes in Vicariatu Vallis Verzaschae in plebe Locarni, invenerimus in loco de Brione Ecclesiam Beatae Virgini Mariae in coelum Assumptae dicatam, antiquitate venerandam recentique opere restaurationis et arte pulchriorem dignioremque effectam, quae, etsi uberiore dote praedita et fere indesinenter jam longo annorum decursu sacerdotem habuerit sibi praepositum, fidelibus Sacramenta ministrantem et caetera omnia munera sacerdotalia et parochialia legitime et pleno iure exercentem, adhuc tamen titulo Vice-parochialis tantum honestatur, sponte votum nostrum manifestum fecimus dictam Ecclesiam B. M. V. Assumptae in Parochialem elevandi. —

Quo audito, fideles in praedicto loco commorantes una cum

moderno Vice-paroco Domino Stephano Labrascia valde gavisi sunt, et voto nostro freti ad Nos per eorum Parochiale Consilium supplices litteras miserunt ut dictam Ecclesiam B. M. V. Assumptae in Parochialem citius erigeremus. Precibus vero non contenti, et erectionem Parochiae universaque iura Ecclesiae ac Beneficii parochialis, meliori quo fieri potuerit modo, tegere ac confirmare volentes, - collectis comitiis in festo Omnium Sanctorum anno 1917, unanimi consensu confecerunt et Nobis postea exhibuerunt elenchum iurium, bonorum, sive mobilium sive immobilium, instrumentorum, capitalium, reddituum et proventuum ad eiusdem Beneficii parochialis dotem effformandam. Nempe:

Primo: Domus usque adhuc viceparochialis in praedicto loco de Brione una cum rusticis et horto adnexis necnon et mobilia quae in ipsa domo reperiebantur et reperiuntur in usu Vice-parochi pro tempore. ——

Secundo: Omnia bona immobilia quae usque adhuc ad Ecclesiam pertinebant B. M. V. Assumptae in ipso loco de Brione et quae in praememorato Elencho enumerata invenies. (Cfr. Elenchum adnexum I.um sub numeris a 1° ad 49.m).

Tertio: Bona immobilia quae ad Confraternitatem Sanctissimi Rosarii eiusdem Ecclesiae pertinebant et quae in dicto Elencho I sub numeris 50-51 et 52 notata habebis. ——

Quarto: Instrumenta et iuria quae antehac ad eandem Ecclesiam spectabant et pronti enumerantur in adnexo Elencho II° usque ad 14 numerum. ——

Quinto: Instrumenta et iuria quae ad Altare Sancti Antonii in praelaudata Ecclesia pertinuerunt, uti refert status elenchus II in numeris a 15° ad 33um.

Sexto: Instrumenta et iuria usque in praesens ad dictam Confraternitatem SS. Rosarii spectantia quo modo habet elenchus II in numeris a 34 ad 40. —

Septimo demum: Capitalia quae descripta sunt in eodem hic adnexo Elencho secundo in fine sub numeris 41. 42. 43. 44 et 45. —

Quae quidem omnia cum Nobis visa sunt iam posse sufficere ad dotem Beneficii Parochialis ita constituendam ut sacerdos ex altare convenienter vivere possit et cultus divinus in Ecclesia Parochiali adhuc sufficienti provisa patrimonio, uti constat, indesinenter exerceri valeat, Nos, invocato D. N. J. Christi nomine, eiusque Matris semperque Virginis Mariae, ad gloriam Dei et ad incrementum fidei et pietatis, attentis expositis et de consensu moderni Viceparochi eiusdem loci, visis Codicis iuris canonici nuper editi canonibus 1409 et sequentibus de beneficiis ecclesiasticis et canonibus 1416 et sequentibus de eorum erectione, necnon et 1450 et 1452, caeterisque omnibus consideratis considerandis, potestate nostra ordinaria et meliori qua fieri potest forma, statuimus, decernimus, et statuta ac inviolabiliter decreta haec quae sequuntur declaramus:

I.um Ecclesia antehac viceparochialis Beatae Mariae Virginis in Coelum Assumptae dicata, in loco de Brione Verzascha, ad gradum Ecclesiae parochialis cum omnibus iuribus et privilegiis et sub eodem Titulo B. V. M. Assumptae elevamus et elevatam decretamus. —

II.um Huic Ecclesiae sic in parochialem erectae territorium subiicimus quo antea circumscribebatur Vicae Paroecia de Brione Verzascha cum suo populo in ipso territorio commorante. —

III.um In praelaudata Ecclesia Parochiali constituitur et constitutum declaramus Officium et Beneficium Parochiale, cuius Titularis et Possessor erit unus Rector idoneus eiusdem Ecclesiae, a parochianis iuxta canones et iuxta leges vigentes rite praesentatus, nominatus et a Nobis, Successoribusve Nostris, canonice admissus, provisus et institutus. —

IV.um Dotem vero Beneficii Parochialis sic instituti constituunt ea omnia instrumenta, capitalia, iuria, bona mobilia et immobilia cum eorum redditibus et proventibus quae supra sunt diligenter enumerata et quorum proprietas est penes ipsum beneficium, necnon voluntariae certaeque fidelium oblationes quae ad Beneficii Rectorem spectant, sive iura, ut dicitur, stolae intra fines taxationis dioecesanae vel legitimae consuetudinis. —

V.um = De eodem Beneficio Parochiali sic erecto et constituto provisum declaramus, modernum praelaudatae Ecclesiae parochialis B. M. V. Assumptae Rectorem reverendum Presbyterum Labrascia Stephanum, cui, tanquam Parocho, Ecclesiam sic in parochialem erectam in titulum tribuimus. —

VI.um = Parochus autem curam animarum in dicto territorio exercens uti rector praefatae Ecclesiae parochialis et titularis officii et beneficii parochialis in eadem erecti, ea omnia adimplere curabit quae ab Ecclesiasticis legibus, sive communibus sive dioecesanis praescribuntur adimplenda, speciatim vero de praedicatione verbi Dei, de administratione sacramentorum et de celebratione Sacrosancti Missae Sacrificii, servatis etiam peculiaribus adprobatis consuetudinibus et legitime statutis. — —

— Haec a Nobis decreta et sancita inviolabiliter servanda omnibus ad quos spectat praecipimus et jubemus; et, ne quis ea infringere audeat, volumus pariterque jubemus ut Consilium Parochiale praesentem a Nobis factam Beneficii Parochialis constitutionem cum ipsius dote ut supra descripta, et non aliter, in publicum instrumentum consignetur a publico civili Notario in debitis formis redactum.

In quorum fidem has Nostras Litteras per Nos signatas, sigilloque Nostro munitas, et per cancellarium Nostrum subscriptas fieri, expediri et diligenter asservari jussimus.

Actum Lugani in Aedibus Curiae Episcopalis anno a Nativitate Redemptoris Millesimo noncentesimo duodevigesimo mense Maio die tertia festo Sanctissimae Crucis. —

+ Aurelius Epp. Adm.

Ap.

taxa reducta ad fr. 15. —

Sac. Aemilius Lattori, Cancellarius epis.

ARCHIVIUM DIŒCESANUM
Anno 3 Maii 1918
Parœcia Brione V.
Negotium:
Elevatio ad Parochiam

Visita Pastorale a Brione Verzasca

Maggio 8	Ore 18.30	Ricevimento di Mons.Vescovo - Processione alla Chiesa - Discorso di S.E. - Processione al Cimitero - Benedizione eucaristica. CONFESSIONI (Mons.Vescovo non confessa: provvedere quindi un confessore, qualora non rimanesse in parrocchia il Predicatore del Triduo) Cena.
Maggio 9	Ore 4½	Ave Maria-Confessioni
	6.00	S.Messa di Mons.Vescovo - Comunione Generale - Indulgenza Plenaria.
	9.30	S.Messa cantata con assistenza di S.E.- Esame di catechismo - S.Cresima
	11.30	Ricevimento in Municipio
	14.30	Visita agli infermi - Ildiene
	16.00	Visita alle Associazioni di A.C.
	16.30	Benedizione eucaristica - Partenza di Sua Eccellenza.